DE BELLO SOCIALI TVRCICO

Breuis commonitio,

AD SERENISS. PRINCIPEM D. SIGISMVNDVM III. REGEM POLONIAE, ET SVECIAE, MAGNVM DVCEM LITHVANIAE, &cę. &cę. ET INCLYTOS REGNI PROCERES AC ORDINES,

In publicis Regni Comitiis proposita xvij. Martij.

PER REVERENDISS. ET ILLVSTRISS.
Sacri Rom. Imperij Principum Electorum, Legatos & Oratores,

D. Ioannem à Kostitz, Pręposítum & Pręsidem Martisburgensem, D. Ioannem à Beneken-dorff in Wardin, D. Nicolaum Reusnerum, & D. Christophorum Benckendorfium, Consiliarios Electorales Saxonicos ac Bran denburgicos:

Anno Christiano,
M. D. XCV.

DE BELLO SOCIALI TVRCICO,
Breuis commonitio.

SERENISSIME AC POTENTISS. Rex, Reuerendiſs. Antiſtites, cæterique inclyti & magnifici Regni Poloniæ Proceres: Quæ superioribus hiſce diebus à Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Principe, Staniſlao, Epiſcopo Olomuceñ. Regalis Capellæ Boëmicæ Comite: & Illuſtri & Magnifico Dño Wenceſlao Seniore Berkæ, Barone de Daub & Lippa, Regni Boëmiæ Aulæ Marſchallo, Sac. Cæſ. Maieſtatis Conſiliariis, & ad Serenit. V. Regiam, cæteroſq; Regni huius inclyti Ordines Legatis & Oratoribus, de ſummo & maximo periculo, à Turcica tyrannide Reip. Chriſtianæ vniuerſæ impendente, deq; remediis, quibus hoc tam graue & intollerabile periculum à ceruicibus noſtris amoliendum, & quomodo patriæ libertas, & dignitas, ab immani iſto & horrendo ſeruitutis Barbari-

cæ iugo vindicanda ſit, nomine Sac. Cæſ. M. coram Regia V. Sereni. in hoc ampliſſimo Regni Ordinum conſeſſu publicè propoſita fuêre. Ea omnia tanta & prudentia & eloquentia deducta eſſe planè confidimus; vt vix quidquam amplius à nobis, qui Reuerendiſs. & Illuſtriſſimi Collegij Electoralis legatione perfungimur, commodè addi poſſe videatur, quod non iam anteà in medium allatum, & in ampliſſimo hoc Regni Senatu, pro eximia, qua pollet ſapientia, & rei ipſius grauitate ac neceſſitate, prudenter accuratéq; perpenſum ac deliberatum ſit. Sed quoniam tamen mandati fines diligenter cuſtodire nos fas eſt; ſanè factu opus ac neceſſarium eſſe duximus, ſaltem breuiter & ſummatim mentem & ſententiam Reuereñ. & Illuſtriſs. Collegij Electorum Sacri Rom. Imperij, in hac ſplendidiſsima Corona, aperire atq; exponere: & animos tot ac tantorũ heröum, quos coràm intuemur, cupiditate quadam incredibili, & ſtudio propugnandæ Reipub. chriſtianæ per ſe iam anteà flagrantes, & nuper admodum

modum exhortatione tam pia & prudenti Sac. Cæſ. M. Oratorum mirificè inflammatos, hac breui commonitione quaſi refouere, & quantum in nobis eſt, adhuc magis confirmare atq; corroborare. Caput verò huius totius cauſæ illud eſt: Quàm perfidioſè & conſceleratè immaniſſimus Turcarum Tyrannus, & Chriſtiani nominis hoſtis perpetuus, non ita pridem fœdere pacis publicæ nefariè rupto, contra fidem datam, bellum atrox & crudele, Reipu. Chriſtianæ intulerit; in quo non ſolùm Caſtella aliquot munitiſſima in Croatia & Styria, ſed etiã in Hungaria Iaurinum, totius orbis Chriſtiani longè maximum propugnaculum, vnà cum quibuſdam aliis præſidiis, magno cum Reipub. Chriſtianæ malo & incommodo, per ducem exercitus ſui Sinauum Baſſam expugnauit, & ſub barbarum ſuum iugum redegit; id omne S. Regiæ M. V. & ampliſs. Regni huius Ordinibus plus quàm ſatis notum eſt: quo ipſo profectò in ſummum & longè maximum diſcrimen ac periculum adducta eſt tota Reſpu. Chriſtiana, vt

na;vt valdè metuendum ſit (id quod Deus clementer auertat) Pannonia vniuerſa ſuperata, hoſtem crudeliſſimum, alias quoque finitimas regiones, Auſtriam, Boëmiam, Morauiam, Sileſiam, ipſamque adeò Germaniam noſtram, cæteraſque orbis Chriſtiani prouincias, acie hoſtili & barbarica inuaſurum atq; infeſtaturum. A quo ſanè periculo tantùm abeſt, vt Poloniæ Regnum ſecurum ac tutum diu eſſe queat; vt multò etiā magis illud periclitetur; tùm quòd Vngariæ maximè illud conterminum & propinquum; tùm quòd barbari illius hoſtis ſummam perfidiam & crudelitatem, iam anteà ſæpius, & non ita pridem nefaria iſta Tartarorum per Poloniam facta irruptione, magno cum ſuo detrimento expertum ſit. Ac proinde, vt malo huic maturè occurratur, & periculum hoc ingens ab orbe Chriſtiano auertatur: Sacratiſs. Cæſ. Maieſtas, omneſq; S. Rom. Imperij Electores ac Principes, communibus omnium Ordinum ſuffragiis, concorditer & vnanimiter in eo conſensêre, & ſic decreuêre; vt com-

mune bellum, aduerſus communem totius Reipub. Chriſtianæ hoſtem, communibus viribus & opibus, quæ multò maiores, quàm aliâs, tam extraordinariæ, quàm ordinariæ, à toto Imperio Romano non ita pridem contributæ, & in poſterum contribuendæ ſunt, tandem ſuſcipiatur; ac præterea alij quoque orbis Chriſtiani Reges ac Principes, & in his præcipuè Serenit. Regia V. cum ampliſſimis Regni Poloniæ Proceribus, tùm ob fidei Chriſtianæ, tùm ob imminentis periculi communitatem, in belli huius ſacri ſocietatem amicè ſtudioſéque vocentur atq; ſollicitentur: quò faciliùs & cōmodiùs ſacra hæc militia coniunctis viribus expediri, & commune iſtud periculum, à Chriſtiano orbe, propulſari queat. Neq; verò de belli huius ſacri & ſocialis Iuſtitia, ſummaque eius neceſſitate & communi vtilitate, vllo modo dubitandum eſſe videtur. Nam primùm quidem, bellum hoc pium eſt, & omninò ſacrum; quod pro Dei gloria, pro Chriſti honore, pro religione ſacrorum, pro ſalute Eccleſiæ, pro totius

tius Reipub. Christianæ incolumitate, pro aris denique & focis geritur. Deinde bellum hoc quoq; iustum est ac legitimum; quod non tam offendendi, quàm defendendi animo, neq; cupiditate alieni Imperij affectandi; sed retinendi sui, aut saltem recuperandi tot & tam amplas possessiones, orbi Christiano à Turcis iam olim & nuper admodum ademptas, suscipitur. Prçterea summè quoque necessarium hoc bellum est, si modò nosmetipsos, & coniuges, ac liberos, posterosque nostros, omnesque adeò possessiones & fortunas, vnà cum Repub. & communi patria, saluas & incolumes esse volumus; cùm commune omnibus christianis ex æquo immineat periculum, non solùm à Turcis, sed etiam à Tartaris: si præsertim id, quod semper hactenus fecerunt, necdum facere intermittunt, auxilia & copias coniunxerint, & communis furoris, veluti tempestate quadam, orbẽ Christianum afflixerint. Quàm verò publicè & priuatim vtile bellum istud futurum sit, quorsum attinet multa dicere? Vnum illud addere libet

libet, non nisi saluis & incolumibus finitimis his regionibus, salua & incolumia manere posse iura commerciorum, societatum, contractuum, omnium deniq; negotiorum ciuilium, ex quibus infinita non solùm ad Germaniam nostram, sed imprimis quoq; ad Poloniam redit commoditas. Nec sanè adeò difficilè aut operosum Serenit. Regiæ V. bellum istud sociale futurum est, non solùm ob maximam Regni potentiam, & militum Polonorum fortitudinem, & in bello gerendo industriam eximiam; sed multò etiam magis ob loci opportunitatem, & accessum ad hostes minus impeditum, & facilem commeatus rerumque necessariarum suppeditationẽ: quibus rebus omnis facilè conficiendorum bellorum ratio continetur: Idque eò magis, quòd Transiluania & Moldauia, finitima Polonię regio, hoc ipso quoque bello sociali, vnà cum sacro Romano Imperio, nuper admodum implicata, & quasi totius Christiani nominis potestas coniuncta est, vt nullo vnquam tempore, sacri huius belli so-

cij clarissimi defuturi sint: quorum profectò fides ac tutela meritò propria habetur salus & incolumitas. Sic nimirum futurum est, vt si communi consensu atq; consilio à Christianis bellum hoc suscipiatur, barbari hostis vires ita distrahantur; vt ille tot & tantis exercitibus diuersis in locis petitus, tandem debelletur: & tanta mole belli, & tam ancipiti contentione obrutus, diuino numine superetur. Denique toti orbi Christiano gloriosum, & Serenitati Regiæ V. & vniuerso Poloniæ Regno imprimis laudabile futurum est: si maiorum suorum, ac præsertim fortissimorum Regum Iagellonum exemplo, ex quibus Serenitas R. V. inclytæ familiæ ducit originem, Rempub. Christianam aduersus immanissimum Turcarum Tyrannũ omnibus opibus atque viribus propugnare, & patriam communem orbemque Christianum tot & tantis periculis liberare in animum induxerit; vnde laus, honos, gloria, & æterni nominis immortalitas perpetua extitura est, quæ nulla vnquam temporum iniuria aut obliuione ob-

ne obscurabitur. Neque verò hoc nouo exemplo fieri putandum est, quòd bellum sociale à Sacro Rom. Imperio cum Regno Poloniæ suscipitur: cùm satis constet iam antea sæpiùs Reges Poloniæ apud Pontifices Maximos, & Imperatores Romanos, imprimis verò fortissimũ & laudatissimum Regem Sigismundum I. Serenitatis V. R. Proauum maternum, à Maximiliano I. Cæsare, in Comitiis Augustanis, per Reuerendiss. Oratorem suum Erasmum Vitellium, Episcopum Plocensem, subsidia belli cõmunis aduersus Turcas congregandi, pro suo erga Remp. Christianam studio perpetuo, sollicitè implorasse; de quo plura dicere non est necesse. Quamobrem, vt coniunctis viribus, & communibus votis, in hoc tam pium & sacrum bellum, & quod ad gloriam Dei, & multarum gentium salutem, atq; adeò totius Reip. Christianæ incolumitatem pertinet, Regia V. Seren. vnà cum amplissimis Regni sui Proceribus incumbat, & aduersus communem totius Christianitatis hostem, communia & socialia

 arma

arma, cum aliis Christianis Regibus & Principibus coniungat, adeóq; Reipub. Christianæ in tanto periculo versanti, suppetias sponte ac vltrò ferat, nomine Sacri Rom. Imperij, Electorum Principum, studiose, vt decet, officioséq; rogamus atque obtestamur. Pro quo officio tam pio & christiano, Serenitati R. V. & amplissimis Regni sui Proceribus, nomine eorundem Principum Imperij, non solùm in hoc bello sacro, & sociali, fidem & constantiam debitam, verùm etiam in omni alio officiorum genere, summam animi promptitudinem, & beneuolentiam, prolixè deferimus atque pollicemur: quos operam sedulò daturos spondemus ac recipimus, ne quid ab ipsis intermittatur, quod Serenitati R. V. & toti amplissimo Poloniæ Regno, non modò gratum & optatum, sed omninò commodũ & salutare futurum est.

DEVM OPT. MAX. supremum Ducem & Dominum exercituum, cuius hoc bellum est, & templi sancti vltio, communibus votis suppliciter oramus atque comprecamur; vt, qui

corda

corda Regum in manu sua habet, idem quoq; consilia omnia diuino numine ita dirigat, ita gubernet; quò maturè ab his, dum occasio & tempus est, omne illud fiat, quod in hoc tam pio & sacro bello factu opus & necessariũ est: ne si tempus & occasio faciendi posteà elabatur, frustra eos tandem & nimis serò intermissi officij pœniteat.

Ad Serenissimum ac potentiss. Principem,

D. SIGISMVNDVM III.

REGEM POLONIAE ET SVECIAE, Magnum Ducem Lituaniæ, &c. &c.

Magna quidem vis est, & magna potentia Turcæ:
Maximus hinc hostis tot fera bella ciet.
Impetit haud vnum furiali Marte dynastam:
Cunctos at Reges, quum furit ira, premit.
Sponteq́; se Regem Regum, dominumq́; professus,
Asserit Imperium, ceu, Deus omne sibi,
Christicolûm, Christiq́; Dei simul efferus hostis,
Pro quo ceu numen se iubet ipse coli.
Irruite ô tandem, Christo duce & auspice Christo,
Christicolæ, Christi quos iuuat arma sequi.
Irruite, & sæuum communi Marte Tyrannum
Tollite; sit soli gloria lausq́; Deo.
Tuq́; adeò, Rex magne, iuua socialibus armis,
(Namq; potes) Christi signifer ipse bonus,
Comprime barbaricum magnâ virtute Tyrannum:
En: inhiat regnis hic quoque prædo tuis.
Sis felix SIGEMVNDE: *Dei victoria præstò est,*
Causa Dei, victrix causa futura, fauet.

Quò maior vis hostis, eò victoria maior,
Et laus, & laudis gloria fida comes.

AD EVNDEM.

Tot sunt Regna tibi, tot Regum nomina magna,
SIGMVNDE, *ô gentis lumen honosq́; tuæ:*
Te Suecus Regem, te Sarmata, Liuo, Polonus,
Et cum Lithuano Russus honorat ouans.
Te meritò metuat dominantem barbarus hostis,
Thrax, & Tartarea trux feritate Scythes,
Indignus cui pacta fides seruetur: amicam
Fœdifragus toties fregit vterque fidem.
Fidere non tutum, fidei qui iura subindè
Contemnunt, quoties dira libido iubet.
Sentiat inuictas tandem Thrax impius iras,
Te Regem metuat barbarus iste suum.

AD EVNDEM.

Magnus cùm Rex sis, magnos tibi iungis amicos,
Maxime Rex: magnos sic benè magna decent.
Cæsare, quid maius magno super orbe? quid ipsis
Principibus sacri dignius imperij?
Totius imperij Romani en dextra fidesq́;,
REX SIGEMVNDE, *lubens accipe daq́; fidem.*

Cæsaris

Cæsaris, imperijq; sacri, sit amica voluntas,
Mutua perpetuò sit tibi chara fides:
Cum trucibus colitur nunquam pax fida tyrannis,
At Reges sanctos fœdera sancta decent.

N. R.

CRACOVIÆ,
In Officina Lazari, Anno Domini,
1595.

Hist Polon
c Miscell